

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Dilectio d
cum fonte primo

Miser ego, quantum deberem diligere Deum meum
qui me fecit cum non eram, redemit cum perieram!
Non enim eram et de nichilo me fecit;
non lapidem, non arborem, non aliquid de animalibus
sed hominem uoluit me esse.
Dedit michi uiuere, sentire, discernere.

Reduxit me de exilio, redemit de seruicio;
uocauit me nomine suo
ut memoriale suum semper esset apud me,
unxit me oleo leticie quo ipse erat unctus
ut ab uncto essem unctus et a Christo dicerer Christianus.

Augustinus de spiritu et anima.

Miser ego, quantum deberem diligere Deum meum,
qui me fecit cum non eram, redemit cum perieram!
Non eram, et de nihilo me fecit;
non lapidem, non arborem, non avem vel aliquid de animalibus aliis,
sed hominem me uoluit esse:
dedit mihi vivere, sentire, discernere.
Perieram, et ad mortalem descendit, mortalitatem suscepit,
passionem sustinuit, mortem vicit; et sic me restauravit.
Perieram, et abieram; quoniam in peccatis meis eram venundatus:
venit ille post me ut redimeret me; et tantum dilexit me,
ut sanguinis sui pretium appenderet pro me, talique pacto et
reduxit me de exilio, et redemit de seruitio.
Nomine etiam suo vocavit me,
ut memoriale suum semper esset apud me.
Unxit me oleo laetitiae quo ipse erat unctus,
ut ab uncto essem unctus, et a Christo dicerer christianus.

Alcherus Claraeuallensis (dubium), *De spiritu et anima*, 17 (PL 40,
col.792).